Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Typvs Frisiæ Orientalis à Dullarto sinu atq[ue] amasi ostio ad Iada usq[ue] fl. singulari studio ac industria concinat[us] et ad vivum express[us]

,

[Amsterdam], [um 1617?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-846169

Visual Library

Farbkarte #13
B.I.G.
Landesbibliothek Oldenburg

conſpicua quatuor, mole & forma præſtantibus, Imperio conſulari a multis retro ſeculis adminiſtrata, etiam ante Comitum initia. Quinque denique ſunt fora egregia, & mercatu celebria: *Wenera*, *Iemgumum*, *Lera*, *Olderſhemũ & Mariehava*. Arces & villæ in hoc Comitatu infinitæ ſunt, Pagorum tantus numerus, ut alter alterum contingat, quorum magna pars, ſive ædificiorum ſplendorem, ſive platearum magnitudinem, ſive incolarum frequentiam ſpectes, cum quibuſdam Germaniæ Urbibus poteſt contendere: neque vero in ijs omnes ruſtici & agricolæ: ſunt & mercatores, & artificum varia genera, nobiles etiam ſparſim interiecti. Sunt & alij duo Comitatus, qui Emdano Comiti ſubjecti ſunt: *Eſenſis & Ieverenſis*, a primarijs eorum oppidis ſic dicti. *Ievtrenſis* ditio trans Iadam ad Occaſum ſita eſt, continetque pagos octodecim; ei, ſeptemtrionem verſus qua ſe viſurgis in mare exonerat, pretexuntur duæ Iuſulæ. *Vangeroga & Spikeroga* deſertæ maxima ex parte. *Eſenſis* Comitatus ad littus Oceani contiguus eſt Ieveriæ, ab Occaſu Berumenſi & Auricenſi tractu: a Borrea Mari terminatur. Ejus Dominus *Haïo ab Huſeke* anno cIɔcccclxxx quum petulantius vicinos infeſtaret, naveſque Bremenſium in viſurgi interdum ſpoliaret, mariaque vicina piratis, terras prædonibus & graſſatoribus ſuis impleret, tandem poſt leviores pugnas cum Bremenſibus quibus inferior fuit, quum Eſſenam confugiſſet, captus a Bremenſibus Edoni Winneko capitaneo Ieverenſi traditus eſt. Qui cum fune canabino diu tortum ſtrangulatumque tandem fruſtillatim diſſecuit, eo quod ſororem, quam in matrimonium duxerat, nulla juſta de cauſa repudiaſſet. Bremenſes itaque a Lubone Ommeko Sibonis filio, ſacramento accepto territorium Haïo commiſerunt: cum vero lubo, Statlandiæ & Eſenſis præfecti filius, populum a Bellorum injurijs Liberare vellet, Bremenſibus Langewordiam tradidit, dein ſubſidio, ab Oldenbergenſibus & diœceſanis accepto, inter Heetam & Iadam Friſios debellavit. Cum autem Dido Archiepiſcopi ſubjectos ad viſurgim, ſimulque & Bremenſes creberrime divexaret: Ad ipſius coercendas incurſiones, Bremenſes *Frideburgum*, arcem cis jada in ipſius Didonis clientis agro anno 1407 extruxerunt: cui, cum Chriſtiernus confinalis Oldenburgenſis Comes ſuis copijs auxiliaturus veniſſet, Bremenſes cum eo (Othone Hoienſi, & Othone Delmenhorſt ſibi junctis) certamen inierunt, captumque Chriſtiernũ ad Frideburgum, Bremam duxerunt. Et ibi cuſtodia mancipatum ſeruarunt, quo ad uſque Wordenſis prefectura ad orientalem viſurgis ripam, ipſis reſtitueretur. Dido porro Eſenſis præfectus indignatus ſummopere quod in ſua prefectura Frideburgenſem arcem Bremẽſes extruxiſſent eos acriter denuo infeſtavit, unde ſecundo Bello eum aggredientes, Eſenã expugnarunt, Friſioſq; an: 1445 ſacramento obſtrinxerunt nullum alium ducẽ quam Bremenſes haberent, eligere. Triennio poſt cum Dido & Heroldus Didonis filij adjunctis ſibi Friſijs Frideburgenſem arcem expugnare tentaſſent: a Bremenſibus capti & obtruncati, noviſſime eorum capita infami ſpectaculo rotis impoſita fuerunt. *Flumina.* Hanc regionem rigant beantque plurimum, *Amaſus*, *viſurgis*, *Iada*, *Dullartus*, *Læda* & alia: rivique multi qui ſchaphis & lintribus meabiles omnem pene agrum pererrant. *Portus.* Magna præterea portuum commoditas qui ſunt *Olderſhemius*, *Emdanus*, *Larletanus*, olim haud vilis, nunc oppilatus, *Cnoccanus*, *Grethanus*, *Fideſhemius*: & hi quidẽ ultimi duo in arctoo, reliqui auſtrino in latere. *Mores.* Ad Mores venio. Vniverſus populus principis ſui amantiſſimus, atque hoc adeo inſitum habens ut illius Honori & voluntati omnia poſt habeat, ſi æqui leges non excedat. Sermo ipſi Germanicus, ad ſecretiora vero proprius quem advenæ non intelligunt. *Veſtes.* veſtitus virilis grauis, compoſitus, etiam ruſticorũ; ita ut ex veſtitu eos pro Oppidanis quis duceret. Femineus ſexus habitu multum ab alijs differente gaudet. totam capitis comam in unum cirrum componunt, eumque multis argenteis deauratiſque nodulis ornatum in tergum dependere ſinunt. Caput ipſum in æſtate reticulo ex rubri coloris ſerico contexto, argentoque deornato redimunt. Hyeme autem capitium ex panno viridi induunt, quo totum caput adeo cooperiunt, ut oculos tantum aſpiciendo præbeant. Hatte vocant hoc genus veſtimenti. Palla quæ a capite ad talos uſque plurimis minutiſque plicis ſtriata eſt, argenteis deauratiſque laminis tam frequentibus undecumque rigeſcit, ut exuta, etiam erecta conſiſtat. Hæc conſtat ex rubro, interdum quoque ex viridis coloris panno. *Opificia.* Omnis generis opificia ſtudioſe exercent, aut agros colunt, aut mercaturam faciunt, Atque hæc de Friſia orientali ſint ſatis.

FINIS.

KP 629

K.H. 2408.

FRISIA ORIENTALIS.

PERLVSTRATO Belgio, coronidis loco noviſſime ſuccedit, in noſtra methodo, Friſia Orientalis, quam non ut limitaneam, aut confœderatam modo, verum ut ipſius Belgij membrum duximus aſcribendam. *Regio. Situs.* Illa itaque regio quæ a ſinu dullarto, exituque Amaſi ſecundum littus in Viſurgim ſe porrigit, agro a meridie clauſa, Monaſterienſium & Oldenburgenſium, proprio nomine hodie, *Orientalis Friſia* dicitur, adjuncto ei Comitatus titulo. In ora autem ab Amaſi oſtio ad Viſurgim patet nõ minus paſſuum millibus quinquaginta, vergente introrſum latitudine pluſquã dimidio minore. Vocabulum ſumpſiſſe videtur quod in Friſiorum limitibus eſſet, non enim hic olim habitarunt Friſii ſed *Chauci* Plinio & Tacito, Straboni *Cauci*: Lucanus & Claudianus Poëtæ nominant *Caycos*, ſuntque qui *Cauconas* Paphlagonum gentem vagam, & quæ in migrando motoriam egiſſe fabulam legitur, cum his confundunt. Quem autem tractum tenuerint, prædicti Poëtæ & Tacitus manifeſtum faciunt. Lucanus enim in primo Pharſaliæ illos Germanis conterminos facit. Claudianus quoque in Eutropium ſcribens utramque gentẽ conjunxit. Tacitus vero probatiſſimus auctor, eos inter Germanos nobiliſſimum populum appellat, & a Friſiorum finibus incipere, partemque littoris occupare, & per immenſum terrarum ſpatium in Chattos uſque introrſum ſinuari ait, ac lateribus Tencterorum, Uſipiorum Friſiorum, Angrivariorumque obtendi. Ex quo amplitudo illorum imperij ac ditionis dilucide cognoſci poteſt, quæ res effecit cur in *Maiores minoreſque* a Ptolemæo diſtracti legantur. *Maiores* ſunt qui Bremenſem Epiſcopatum incolunt. *Minores* ſunt Embdani & Oldenburgenſes ſiquidem inter Amiſiam & Viſurgim etiam Ptolemæus ſedes illis conſtituit. Plinius lib. XVI. Cap. I. Hiſt. ita ſcribit: *Sunt vero & in ſeptemtrione viſæ nobis gentes Chaucorum, qui majores minoreſque appellantur. Vaſto ibi meatu, bis dierum noctiumque ſingularum intervallis effuſus in immenſum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controverſiam, dubiumque, terræ ſint partes an maris. Illic miſera gens tumulos obſidet altos, aut tribunalia ſtructa manibus, ad experimenta altiſſimi æſtus, caſis ita impoſitis, navigantibus ſimiles, quum integant aquæ circundatæ: Naufragis vero, cum receſſerint, fugienteſque cum mari piſces circa Tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni prorſus abacto frutice. Vlna & paluſtri junco funes nectunt, ad prætexenda piſcibus retia; captumque manibus lutum ventis magis, quam ſole ſiccantes, terra cibos & frigentia ſeptemtrione viſcera ſuaurunt. potus ijs non niſi ex imbre ſervato ſcrobibus in veſtibulo domus.* Hæc olim Chaucorum facies. *Soli fertilitas.* Ea nunc quantum ab illa natura eſt? Hodie enim, quænam terra uberius præbet mortalibus alimenta? non incolis modo, ſed vicinis, aliiſque exteris? At olim quam informis, quam triſtis cultu, aſpectuque, quam miſera incolarum habitatio? Non frumenti, non aliarum frugum mentionem facit Plinius: jam ubi major ubertas? Frugiferarum arborum olim impatiens: nunc omne fere genus arborum producit. *Animalia.* Non pecudem habebant, non lacte alebantur; ubi major jam copia, & quis potior cibus? Agrum ſiquidem planum, & paſcuis fæcundum, naturæ beneficio obtinent, cujus quidem quam læta paſcua, quam numeroſi armentorum & pecudum greges, vix explicari poteſt. Docet id exquiſiti, delicatique ſaporis butyri, & caſei exuberans copia, quæ uberrimo incolarum quæſtu, & emolumento maximo, ad varias regiones & per univerſam Germaniam defertur. Quin etiam non obſcure id comprobant pingues & ſupra vulgarem magnitudinem boves, quorum aliquot myriades in paſcuis errare videntur. Nec feræ denique nobilium oblectationi, & venationi deſunt. Eſt ergo ager hujus tractus hodierno tempore adeo dives, ut regionum vicinarũ ope indigere minime videatur; imo multis uſque adeo abundat, ut Equis bobus, pecore, carnibus porcinis, lana, butyro, caſæo, hordeo, avena, frumento, fabis, piſis eiam & ſale: ut eorum quotannis magnam Copiam confinalibus ſuis, aliiſque remotioribus Populis ſubminiſtrare poſſit. Porro *Fredericus* Imperator ejus nominis tertius Anno cIɔcccclxv hanc ditionem in varias præfecturas diviſam; comitatus titulo decoravit & *Vdalricho* cuidam attribuit. *Gubernãdi Ratio.* Inde ad noſtrum hoc uſque ævum Comites ſuos ſemper habuit. *Vrbes.* Urbes in hoc Comitatu mænibus clauſæ II ſunt *Emda* & *Aurica*, *Emda* hujus regionis eſt primaria, & Emporium celeberrimum, ad Amaſi fluminis oſtium, portus oportunitate nobile, cuius aluens ita profundus eſt ut navigia maxima paſſis velis admittat: propterea amplitudine opum, ædificiis publicis privatiſque, negotiationum varietate, & civium frequentia ac cultu omnibus, non Germaniæ modo verum etiam Europæ angulis innotuit. Inter alia ipſius ornamenta, præcipua ſunt; Comitis ædes ſumptuoſæ, Templum magnificum, & Domus prætoria: mira hic omnium rerum & exuberans copia cernitur, non earum modo, quibus ſatis neceſſitati fieri, ſed & quibus voluptatis ſtudium concitari queat. Præſtat hoc civibus tam portus & importationis commoditas, quam nativa Friſiæ fæcunditas. Nomen habet a fluvio *Ems* quam Tacitus *Amiſiam* vocat. Hic ille eſt fiuvius, ad quem Druſiana foſſa egreſſæ legiones Romanę, latæque Oceano, ſecunda navigatione pervectæ ſunt, ut refert Tacitus ſecundo annalium. Civium res quomodo nunc habent tempora, Conſules & Senatores regunt, arbitrio Comitũ lecti, quorũ imperium ſicut ipſi hi, ſic tota agnoſcit Civitas: ſed imperii huius modus lex, nõ voluntas. A ſenatu deinde ſex viri ſunt, armorũ, vigiliarũ quietis publicæ curæ præpoſiti, bini in ſingulis partibus tertiis, in quas urbs eſt diviſa, excepta Valdera, que velut nova Vrbs veteri non multos ante annos adjecta, ſuos etiam ſub Præfecto Comitis, cuius illic imperium eſt, ſex viros habet. Urbs altera *Aurica* Nobilium incundiſſimus receſſus, ob ſilvas & nemora, in quibus aucupio vel venationibus liberaliter ſeſe exercent: cives potentes habet, vel opificio alicui, vel mercaturæ deditos. In ejus territorio (Kempio teſte) extat *Iil*, locus undique muris cinctus, arbuſculis paſſim conſitus, leporibus & cervis maxime commodus in quo velut in ſepto ſimilia enutriuntur animantium genera, nemini ſine diſcrimine libera, Comitum & nobilium venationi, & oblectamento dicata. In eodem agro eminentior paulo aſſurgit collis *Oſtalsboom*, in quo ditionis judicialis ſedes, ad quem olim bis in anno, ex ſeptem Zelandiæ partibus honoratiſſimi & legum peritiſſimi viri ſub dio convenientes, populo jus dicebant, & controverſias litiumque difficultates, ſi quæ herebant diſceptabant. Sunt aliæ præterea hujus Regionis Civitates, quæ mænibus carent: *Norda* imprimis in agro cognomine, Emdæ ambitus par aut major, pulcritudine, opibus, cultu haud dubio proxima, quamquam mænium expers, XII paſſ. millibus recta in Boream magis recedens, intimoque in ſinu æſtuarij ejus, quod Amaſim Auſtralem indigetant, ſita, & ipſa etiam maritimis dedita rebus, populo frequens, omnium rerum copia ad vitam tuendam per ſe affluens, fanis quomdam

Landesbibliothek Oldenburg